CLARISSIMO VIRO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

LEONARDO SPENGELIO

ABHINC QUINQUAGINTA ANNOS PHILOSOPHORUM ORDINI

ADSCRIPTO

HAEC DECEM LUSTRA

FELICISSIME GLORIOSISSIMEQUE PERACTA

GRATULANTUR

EA QUA PAR EST PIETATE ATQUE REVERENTIA

NICOLAUS WECKLEIN

ALBERTUS KELLERBAUER

QUORUM INSUNT COMMENTARIOLA.

LIPSIAE

FORMIS DESCRIPSIT B. G. TEUBNERUS.

CLARISSIMO VIRO

PRAECEPTORI DILECTISSIMO

LEONARDO SPENGELIO

ABHINC QUINQUAGINTA ANNOS PHILOSOPHORUM ORDINI

ADSCRIPTO

HAEC DECEM LUSTRA

FELICISSIME GLORIOSISSIMEQUE PERACTA

GRATULANTUR

EA QUA PAR EST PIETATE ATQUE REVERENTIA

NICOLAUS WECKLEIN

ALBERTUS KELLERBAUER

QUORUM INSUNT COMMENTARIOLA.

LIPSIAE

FORMIS DESCRIPSIT B. G. TEUBNERUS.

INSUNT

NICOLAI WECKLEIN CURAE CRITICAE,

ALBERTI KELLERBAUER KAISER JULIAN'S LEBEN.

I. Aeschylea.

Pers. 216 θεοὺς δὲ προςτροπαῖς ἱκνουμένη,
εἴ τι φλαῦρον εἶδες, αἰτοῦ τῶνδ' ἀποτροπὴν τελεῖν,
ταδ' ἀγαθὰ δ' ἐκτελῆ γενέςθαι ςοί τε καὶ τέκνῳ ςέθεν.

Lubricum est illud genus emendandi, quo quis loco glossematum genuina poetae verba restituere conatur. Sed tamen iniuria id a viris nimis severis contemni, monent ei loci, quibus illa ratione speciocissime manus poetae redintegrata est. Velut Ag. 150 Dindorfius praeclare ἐχενηΐδας ἀπλοίας mutavit in ἐχενηΐδας αὔρας. Ib. 677 libri habent καὶ ζῶντα καὶ βλέποντα: id quod poeta scripsit χλωρόν τε καὶ βλέποντα, Hesychius conservavit. Eur. Hec. 454 in libris optimae notae φαςὶν 'Απιδανὸν πεδία λιπαίνειν, in aliis φ. 'Α. τὰς γύας λ. leguntur; Hermannus reparavit φαςὶν 'Απιδανὸν γύας λιπαίνειν. Hipp. 526 optimus liber Marcianus ὅςτις ςτάζεις pro ςτάζων praebet. Quod nomen ex Ion. 700 expunxi, πόςις δ' ut interpretationis loco ad ὃ δ' adscriptum, idem Androm. 856 cum ipso interpretationis indicio δηλαδὴ in optimis et praeter unum omnibus libris legitur. Haec sufficiunt. Eiusmodi autem interpretationibus inquinatam esse memoriam librorum, argumento sunt vel numeri claudicantes sensu integro vel verba detorta, languida, parum sana vel vestigia quaedam interpolantium. Ita eo quem praescripsimus loco nisi vocabula ἀγαθὰ δ' ex interpretatione repeterentur, nesciremus, quo pacto orta putanda essent quae libri habent ταδ' ἀγαθὰ δ'. Rectissime igitur omisso vel eo quod Turnebus correxit τὰ δ' ἀγάθ' vel quod Hermannus invenit τἀγάθ', Heimsoethius id restituere conatus est ad quod glossema ἀγαθά pertineret. Coniecit autem κεδνὰ δ' cl. Hesych. κεδνά· ἀγαθά. Sed quod diximus lubricum hoc emendationis genus, id maxime attinet ad iudicium de restituendo vocabulo incertum. Nam eodem fere iure, quo κεδνά, reduci potest ἐςθλά cl. Hesych. ἐςθλά· ἀγαθά et simillimo loco Soph. El. 646. Verum hic diligentius si consideraverimus ea quae tradita sunt, intellegemus neutra emendatione explicari, unde ταδ' ortum sit. Hanc ad rem interest quod viri docti viderunt, cum in aliis codicibus tum in libro Mediceo Aeschyli saepe genuina et ea quae ex interpretatione repetenda sunt vocabula commixta esse, ut Sept. a. Th. 952 in vocabulis γε δόμους relictum est γε ex genuino γενεάν, cui δόμους

superscriptum fuit, Cho. 319 in ἰcοτίμοιρον restat τι ex ἀντίμοιρον, ib. 441 κτεῖναι ex κτίcαι et θεῖναι conglutinatum est, Prom. 468 ναυτιλόχων ex ναυτίλων et ναυλόχων. Eodem modo illo loco si ταδ' ἀγαθὰ δ' concrevisse putamus ex τὰ δ' et superscripto glossemate ἀγαθὰ δ', rationem explicatam habemus. Tum vero nullius vocabuli eligendi copia est nisi ἕτερα, ut scribendum videatur:

τὰ δ' ἕτερ' ἐκτελῆ γενέcθαι cοί τε καὶ τέκνῳ cέθεν.

Cfr. v. 222 ἐcθλά cοι πέμπειν τέκνῳ τε γῆc ἔνερθεν ἐc φάοc, τἄμπαλιν δὲ τῶνδε κτέ. Tribrachys primi pedis offendere non debet cfr. 239 πότερα γὰρ τοξουλκὸc αἰχμὴ διὰ χερῶν αὐτοῖc πρέπει;

Valde vereor ne etiam v. 291, ubi libri habent:

ὑπερβάλλει γὰρ ἥδε cυμφορὰ
τὸ μήτε λέξαι μήτ' ἐρωτῆcαι πάθη

verbum λέξαι quod sententiam facile detorqueat, cum Atossa non se omisisse πάθη λέξαι, sed mutam (ἄφωνον) fuisse dicat, ex interpretatione irrepserit, poeta autem scripserit:

τὸ μήτε φωνεῖν μήτ' ἐρωτῆcαι πάθη.

Certum est eos peccare in artem emendandi, qui v. 974 responsionis causa articulum τὰc inserunt, non v. 989 verbum ὑπομιμνήcκειc, quod cum ἴυγγα nullo modo coniungi potest, interpretationem putant dictionis Aeschyleae ex ἴυγγα et idoneo verbo compositae.

Illustre exemplum huius corruptelae exhibet optimus liber Sophoclis

Oed. T. 1030 ΑΓΓ. cοῦ τ', ὦ τέκνον, cωτήρ γε τῷ τότ' ἐν χρόνῳ.
ΟΙΔ. τί δ' ἄλγοc ἴcχοντ' ἐν καιροῖc λαμβάνειc.

Ceteri libri habent ἐν κακοῖc με λαμβάνειc, quam lectionem qui recipiunt, velim discant, se correctos numeros praetulisse recto sensui. Hunc sensum ne ei quidem homines docti perspiciunt, qui ἐν νάπαιc με, ἐν χύτραιcι, ἐν cκάφαιcι λαμβάνειc coniciunt. Nam consulto poeta putandus est notione ἐν καιρῷ usus esse, ut causam interponeret, cur Oedipus verba nuntii cωτήρ γε τῷ τοτ' ἐν χρόνῳ ita exciperet, ut de gravi morbo cogitaret, quasi diceret: 'tu dicis a te me conservatum esse illo tempore; quo igitur malo, nisi tu *opportune* advenisses, perissem?' Quamobrem cavendum est, ne emendatione consilium poetae dirimamus. Quodsi omnia vocabula perlustramus, quae et huic sensui et interpretationi ἐν καιροῖc conveniant, haud facile aptiora inveniamus quam ἐν δέοντι. Velut quod Herodotus VI 89 elocutus est Ἀθηναῖοι οὐ παραγίνονται ἐc δέον, idem VI 90 eloquitur Ἀθηναῖοι ἐc τὸν καιρὸν οὐ παρεγίνοντο. Atque Sophocles ib. 1421 εἰc δέον eadem ratione qua εἰc καιρόν adhibuit. Cfr. Eur. Hipp. 923 ἀλλ' οὐ γὰρ ἐν δέοντι λεπτουργεῖc, Med. 1277 ναί, πρὸc θεῶν, ἀρήξατ'· ἐν δέοντι γάρ, Or. 211 ὦ φίλον ὕπνου θέλγητρον, ἐπίκουρον νόcου, ὡc ἡδύ μοι προcῆλθεc ἐν δέοντί γε. Itaque non dubitamus Sophocli reddere:

τί δ' ἄλγοc ἴcχοντ' ἐν δέοντι λαμβάνειc;

Numeris vitiosis cognoscitur mendum ex interpretatione ortum etiam

Oed. T. 1089 οὐκ ἔcει τὰν αὔριον πανcέληνον.

Versum antistr. ἦ cέ γε θυγάτηρ Λοξίου; τῷ palmari coniectura ἦ cέ γ' εὐνάτειρά τιc Λοξίου· τῷ Arndtius emendavit. Huius coniecturae elegantiae nihil officit nisi additum τιc; nam hoc omisso demum plane evidens fit, ut ἦ cέ ΓΕΥΝΑΓΕΙΡΑΛΟΞΙΟΥ depravatum sit in ἦ cέ ΓΕΘΥΓΑΤΗΡΛΟΞΙΟΥ. Hoc cum bene perspexisset Nauckius, in versu strophico αὔριον corruptum esse intellexit. Atque quis integro iudicio usus ipsius sententiae gratia hanc opinionem non maxime comprobet? An credere possumus Sophoclem cum fabulam scriberet computavisse vel computare potuisse plenilunium postridie eius diei, quo fabulam docturus esset, futurum? Quomodo vero affectos esse putamus animos spectantium, cum subito paene ridiculum in modum ex heroum aetate in instantem diem conicerentur? Duabus igitur causis αὔριον depravatum iudicari debet. Facile origo corruptelae explanaretur, si quod Nauckius coniecit αὖρι recte se haberet. Huius vocabuli unum vestigium superest in Aeschylea voce αὐριβάτηc, quam memoriae prodiderunt glossaria. Hesychius enim s. v. αὐριβάταc haec habet: Αἰcχύλοc τὸ αὖρι (sic αὔριον Pauwius emendavit) ἐπὶ τοῦ ταχέωc τίθηcι· καὶ ὁ αὐτὸc Ψυχοcταcίᾳ οὕτωc φηcὶ τὸ ὄνομα ταχυβήμων. Ex his et ex iis, quae leguntur Bekk. anecd. 464, 9 αὐρίβατον· τὸ αὖρι τιθέαcιν ἐπὶ τοῦ ταχέωc οὐκ ἀπὸ τῆc αὔραc ἀλλὰ κατά τινα βαρβαρικὴν λέξιν efficitur non quod Nauckius effecit (Aesch. fr. 412), vocabulo αὖρι Aeschylum usum esse, sed ipsum vocabulum αὖρι Alexandrinis grammaticis ignotum fuisse neque exstitisse nisi in composito αὐριβάτηc. Non igitur licet hanc vocem, quam M. Schmidtius Lydorum esse suspicatur, Sophocli obtrudere. Ceterum si liceret, ipsam notionem vocabuli nobis notam ταχέωc qua tandem ratione in illum locum Sophoclis quadrare arbitramur? Ne ea quidem significatio quam Nauckius statuit 'mox futurum sive instans plenilunium', ullo modo probari nobis potest. Quid multa? Poeta scripsit

οὐκ ἔcει τὰν ἦρι πανcέληνον.

Grammatici autem vel librarii cum ἦρι ex consuetudine Homericae dictionis interpretarentur αὔριον (cfr. Hesych. ἦρι· πρωΐ· αὔριον· ἔαρι· ὄρθρῳ), commutaverunt. De verno plenilunio eiusque festis exponit A. Mommsenus Heortol. p. 389 sq. De simili temporis notatione quae est Aesch. Ag. 826 cfr. quae exposuit Keckius in Fleckeiseni annal. t. 85 p. 518 sqq.

Videmus non semper veram vel potius singulis locis aptam vim vocabuli ab grammaticis interpretantibus perspectam aliisque verbis redditam esse. Quamobrem supra diximus etiam verbis languidis, detortis prodi operam interpolantium. Id attinere putamus ad

Eur. Hec. 900 νῦν δ', οὐ γὰρ ἵηc' οὐρίουc πνοὰc θεόc,
μένειν ἀνάγκη πλοῦν ὁρῶνταc ἥcυχον.

Si Graeci tempestate premerentur, recte se haberet πλοῦν ὁρῶνταc

ἥcυχον. Nunc vero de nullis ventis loquitur Agamemno cfr. 1289 καὶ γὰρ πνοὰc πρὸc οἶκον ἤδη τάcδε πομπίμουc ὁρῶ. Hanc ob rem Elmsleius et Pflugkius ἥcυχον cum verbo μένειν coniungunt, alter adiectivum, alter adverbialiter accipiendum esse ratus. Elmslei opinionem redarguit Pflugkius, Pflugkii non est quod redarguamus. Hartungius scripsit ἡcύχουc; quod cum vix aliqua ratione defendi possit, nos ἥcυχον ex glossemate provenisse et memores loci Sophoclei Phil. 780 γένοιτο δὲ πλοῦc οὔριόc τε κεὐcταλήc poetam scripsisse putamus:

μένειν ἀνάγκη πλοῦν ὁρῶνταc εὐcταλῆ.

Hoc enim aliquem, etsi minus apte, vocabulo ἥcυχον interpretari potuisse, docet Hesych. εὐcταλεῖ· ἀτρεμεῖ.

Glossema denique agnoscimus

Eur. El. 624 τί δρῶνθ'; ὁρῶ γὰρ ἐλπίδαc ἐξ ἀμηχάνων.

Barnesii emendatio ἐλπίδ', quam omnes editores admittunt, per se facilis est et probabilis videtur. Verum si locos consideraverimus quales sunt Aeschyli Prom. 59 δεινὸc γὰρ εὑρεῖν κἀξ ἀμηχάνων πόρουc, Aristophanis Equ. 758 ποικίλοc γὰρ ἀνὴρ κἀκ τῶν ἀμηχάνων πόρουc εὐμήχανοc πορίζειν, ipsius Euripidis Iph. T. 897 ἀπόρων πόρον ἐξανύcαc et illa quae quinquies occurrunt τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον ηὗρε θεόc, poetae suum acumen reddemus emendatione ὁρῶ γὰρ εὔπορ' ἐξ ἀμηχάνων, pluralem ἐλπίδαc ex interpretatione pluralis εὔπορα repetentes.

Agam. 489—500 libri tribuunt Clytaemnestrae, 501 sq. choro; cunctos choro tribuendos esse censuit Scaliger. Adhuc sub iudice lis est, cum gravissimis causis contendant alteri Clytaemnestram in scena esse, alteri eam non adesse et coryphaeum suo more adventum praeconis denuntiare. Nam quod sunt, qui illos v. custodi qui prologum habuit dari posse arbitrentur, perversae opinionis rationem haberi nefas est. Ac primum quidem Clytaemnestrae v. 489—500 nequaquam convenire videntur, cum verba τάχ' εἰcόμεcθα λαμπάδων φαεcφόρων φρυκτωριῶν τε καὶ πυρὸc παραλλαγὰc εἴτ' οὖν ἀληθεῖc εἴτ' ὀνειράτων δίκην τερπνὸν τόδ' ἐλθὸν φῶc ἐφήλωcεν φρέναc et ὡc οὔτ' ἄναυδοc οὔτε coι δαίων φλόγα ὕληc ὀρείαc cημανεῖ καπνῷ πυρόc ad eum pertineant, qui cum contemptu loquitur de nuntio per ignem misso, quem Clytaemnestra ipsa magna verborum iactantia descripsit, ad eum, qui v. 479 dixit τίc ὧδε παιδνὸc ἢ φρενῶν κεκομμένοc φλογὸc παραγγέλμαcιν νέοιc πυρωθέντα καρδίαν ἔπειτ' ἀλλαγᾷ λόγου καμεῖν· γυναικὸc αἰχμᾷ πρέπει πρὸ τοῦ φανέντοc χάριν ξυναινέcαι, ad eum denique qui ad sua ipse verba ὡc οὔτ' ἄναυδοc . . ἀλλ' ἢ τὸ χαίρειν μᾶλλον ἐκβάξει λέγων refert quae v. 583 dicit νικώμενοc λόγοιcιν οὐκ ἀναίνομαι. Deinde si Clytaemnestra in scena esset, consentaneum foret, praeconem reginam alloqui, certe reginam laetissimum de reditu regis nuntium aliqua interpellatione excipere. Denique coram Clytaemnestra choro non liceret ea proferre quae v. 546—550 profert. His gravissimis

causis aliae opponuntur ita non contemnendae, ut etiam nunc editores severi dubitent librorum auctoritatem neglegere. Nam v. 590 cum Clytaemnestra verbis καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε 'φρυκτωρῶν διὰ πεισθεῖσα . . ἦ κάρτα πρὸς γυναικὸς αἴρεσθαι κέαρ' reprehendere videatur ea quibus chorus v. 479 sqq. reginam carpsit, efficitur Clytaemnestram cum adventaret praeco in scena fuisse. Deinde versum 500 εὖ γὰρ πρὸς εὖ φανεῖσι προσθήκη πέλοι clausulam orationis esse apparet, ut versus duo proximi eidem cui v. praecedentes dari nequeant. Atqui nemo hos versus Clytaemnestrae, illos choro tribuere velit. Postremo neque abire neque adire Clytaemnestram ullo verbo secundum poetarum Graecorum consuetudinem significatur. Hac in diversitate causarum intersit locum afferre idoneum qui dubitationem eximat,

v. 598 καὶ νῦν τὰ μάσσω μὲν τί δεῖ σ' ἐμοὶ λέγειν·
ἄνακτος αὐτοῦ πάντα πεύσομαι λόγον.

His verbis cum Clytaemnestram poeta causam, *cur nihil ex praecone quaerat,* afferentem faciat scilicet nolens repetere quae spectatores iam audiverunt, sequitur *Clytaemnestram antea non in scena fuisse.* Adire igitur ea putanda est, cum praeco postrema praedicat Τροίαν ἑλόντες κτέ. (v. 577), atque v. 585 δόμοις δὲ ταῦτα καὶ Κλυταιμνήστρᾳ μέλειν κτέ. coryphaeus animum praeconis ad reginam domo egressam advertit. Verba καί τίς μ' ἐνίπτων εἶπε κτέ. cum perstringant vocem auditam priusquam sacra fierent (ὅμως δ' ἔθυον v. 594), chorus autem post sacra facta introierit illaque dixerit, consilio quidem poetae ad illam chori sententiam referuntur, specie autem ad homines quoslibet de populo pertinent. Iam dubium non erit, quin v. 489—500 eodem modo coryphaeus recitet, quo v. 258 idem carmen chori excipit. V. 500. 501 autem nulli tribui possunt nisi choreutae alii. Huic rationi admodum accommodatum est quod O. Müllerus vidit, epodum 475—488 singulis choreutis dandam esse. Cum autem aperte cum Hermanno quattuor partes distinguendae sint: πυρὸς δ' ὑπ' εὐαγγέλου . . ψύθος. — τίς ὧδε παιδνὸς ἢ φρενῶν κεκομμένος .. καμεῖν; — γυναικὸς αἰχμᾷ πρέπει .. ξυναινέσαι. — πιθανὸς ἄγαν . . κλέος, his quattuor choreutis illos duos si addimus, hemichorium sex choreutarum habemus. Nec tamen probabile videtur, sex choreutas in vicem recitasse; probabilius est, *duces hemichoriorum i. e. coryphaeum et* παραστάτην *alternavisse* (*α' 475—478, β' 479—482, α' 483—484, β' 485—488, α' 489—500, β' 501—502*).

Haud alienum fuerit duorum aliorum locorum mentionem facere, quibus recta interpretatione opiniones de rebus scenicis corriguntur. Unus est Pers. 859 ἀλλ' εἶμι καὶ λαβοῦσα κόσμον ἐκ δόμων ὑπαντιάζειν παιδί μου πειράσομαι. Ex his enim verbis Koechlyus in dissertatione de Aeschyli Persis Actis XXIX. convent. Philol. Germ. inserta efficere sibi visus est, veram clausulam fabulae interisse in eaque clausula Atossam denuo in scenam egressam vestem filio

pannoso dare.*) At illis verbis additis plane contrarium consilium Aeschylus secutus est; *nolens* enim, quod Euripidis arti Aristophanes exprobrat, *pannosum hominem in scenam inducere* opinioni Graecorum de Xerxe reduce gratificatus Atossam Xerxi *obviam* misit, ut eis qui spectarent cogitare liceret, *Xerxem priusquam ad regiam accederet vestem mutavisse.* Alter locus est Eur. Hec. 1041 ἰδού, βαρείας χειρὸς ὁρμᾶται βέλος. Hunc versum plerique libri et editores choro tribuunt, ut videatur chorus aliquid suis oculis aspicere et in scena aliqua res agi. At quid usus Graeci theatri requireret, sensit G. Hermannus, qui eum versum cum duobus libris Polymestori dedit. Scilicet ea vi verbi ἰδού, qua *fieri significatur, quod quis iussit vel minatus est, ignorata versus ab oratione Polymestoris segregatus est perverse.* Fortasse aequabilitati etiam id condonandum, ut *v. 1043 interpolatum* iudicetur et chorus pariter atque antea unum versum (βούλεσθ' ἐπεισπέσωμεν ὡς ἀκμὴ καλεῖ) habere putetur. Nam verba Ἑκάβῃ παρεῖναι Τρῳάσιν τε συμμάχους satis supervacanea sunt.

II. Sophoclea.

Electr. hypoth. verba τροφεύς ἐστιν ὁ προλογίζων πρεσβύτης παιδαγωγὸς ὁ ὑποκείμενος καὶ ὑπεκθέμενος τὸν Ὀρέστην εἰς τὴν Φωκίδα πρὸς Στρόφιον καὶ ὑποδεικνὺς αὐτῷ τὰ ἐν Ἄργει haud satis plana sunt. Bergkius delevit ὑποκείμενος καὶ, Nauckius ὑποκείμενος; sed quid velit hoc ὑποκείμενος, non apparet. Quid rei sit, liquebit, si naturam huius hypothesis accuratius consideraverimus. Continet enim nihil nisi duas diversorum auctorum sententias de persona prologi. Videmus Alexandrinis grammaticis *nihil aliud suppeditavisse nisi quod ex ipsis poetae verbis cognoscitur*, senem qui Orestem puerum a sorore acceptum subduxerit et educaverit personam prologi esse. Hunc senem alii secundum ipsa poetae verba v. 13 τροφέα, alii ex communi more παιδαγωγόν appellabant. Itaque legimus initio hypothesis: ὑπόκειται ὧδε· τροφεὺς δεικνὺς τῷ Ὀρέστῃ τὰ ἐν Ἄργει, idemque alter grammaticus statuisse putandus est nomine τροφεύς consulto adversandi causa ad initium sententiae prolato et scripsisse: τροφεύς ἐστιν ὁ προλογίζων πρεσβύτης ὁ ὑπεκθέμενος τὸν Ὀρέστην κτἑ.; his vero insertam videmus sententiam eius qui *obloquitur:* παιδαγωγὸς ὁ ὑποκείμενος, quae sententia ut saepe in scholiis factum esse constat, cum ea commixta est quam primo refutaverat. Insigne igitur exemplum habemus quo docemur, unde nomina et fabulis cum titulo τὰ τοῦ δράματος πρόσωπα et vicibus personarum praeposita provenerint. Eur. Ion.

---

*) „Schau die Fetzen meines Kleides" Xerxem matri dicentem facit in supplemento Aeschylea gravitate conficto vir summus, cuius opera et dignitate doctrinam nostram orbatam summo dolore lugemus.

v. 1320 praescribunt libri nomen Pythiae; in indice personarum legitur Πυθία ἤτοι προφῆτις. Sensui poetae nomen Pythiae non convenire, docent verba quibus personam spectantibus ille innotescere vult: τρίποδα γὰρ χρηστήριον λιποῦσα . . Φοίβου προφῆτις. *Praescribendum erat* προφῆτις. *Idem initio Aesch. Eum. relinquendum,* non cum Victorio ex indice personarum Πυθιάς adsumendum, sed et in Eumenidum et in Ionis indicem nomen προφῆτις recipiendum duco.

El. 4 τὸ γὰρ παλαιὸν Ἄργος οὑπόθεις τόδε,
τῆς οἰστροπλῆγος ἄλσος Ἰνάχου κόρης.
αὕτη δ', Ὀρέστα, τοῦ λυκοκτόνου θεοῦ
ἀγορὰ Λύκειος· οὑξ ἀριστερᾶς δ' ὅδε
Ἥρας ὁ κλεινὸς ναός· οἷ δ' ἱκάνομεν,
φάσκειν Μυκήνας τὰς πολυχρύσους ὁρᾶν
πολύφθορον τε δῶμα Πελοπιδῶν τόδε.

Pergratum nobis fecit poeta quod scenam accuratissime descripsit. Utinam nobis liceret singulas partes picturae distinguere recteque collocare! Bene de hac re disputaverunt novissimo tempore Wieselerus in commentatione de aliquot locis Sophoclis nondum satis explicatis aut recte emendatis (Ind. lect. hib. Gotting. 1875) atque is, qui Wieseleri commentationem in Leutschii Ind. Philol. VII p. 209 recensuit, nec tamen ita, ut mihi quidem sententias suas omnibus rebus comprobarent. Wieselerus collocat aedem Iunonis Mycenis propiorem in sinistra, forum Lyceum et templum Apollinis in dextra scena versatili, anonymus ille Heraeum prope regiam Mycenarum in scena magna, lucum et forum Argivum in scena versatili sinistra. Nobis, si res aliqua certa ratione statui debet, *videntur omnia ex usu scenae versatilis repetenda esse.* Cum sinistro aditu ei uterentur, qui ex urbe ipsa vel locis cum urbe coniunctis veniebant, dextro ei, qui peregre accedebant, in sinistra scena versatili nihil depingi poterat, quod non ad ipsam urbem pertineret, neque aedes Iunonis neque forum Lyceum. Orestes atque eius comites per dextram parodum adeunt; peregrinantur autem per terram Argolidem in urbem Mycenas. Itaque *ad dextram scenam versatilem attinet terra Argolis cum campo Inachio.* Cum autem *in sinistra eae partes urbis Mycenarum collocandae sint, quas cum regia ipsa coniunctas esse voluit poeta,* cetera quae initio fabulae afferuntur in magnam scenam congerenda videntur. Cum autem illo tempore Graeci pictores ea quae procul aspici volebant sursum pingerent, *in scena magna huius fabulae deorsum regia Mycenarum, sursum in dextra parte forum Argivum cum aede Apollinis, in sinistra paulo minus alte Heraeum, quod inter Argos et Mycenas situm erat,* suum locum habere *consentaneum est.* Haec quo modo cum in verba poetae tum in consuetudinem scenicam optime quadrare videantur, pluribus verbis docere non est in animo.

El. 159 κρυπτᾷ τ' ἀχέων ἐν ἥβᾳ
ὄλβιος, ὃν ἁ κλεινὰ

γᾶ ποτε Μυκηναίων
δέξεται εὐπατρίδαν Διὸς εὔφρονι
βήματι μολόντα τάνδε γᾶν Ὀρέσταν.

Ad interpretationem huius conclamati loci aliquid conferat moneri, locum Homeri τίσω δέ μιν ἶσον Ὀρέστῃ ὅς μοι τηλύγετος τρέφεται θαλίῃ ἐνὶ πολλῇ (I 142) poetae obversatum esse. Qua re cognita magis nobis probabitur interpretatio Hermanni 'semota a doloribus in iuventa felix' et mendum loci corrigi poterit. Molestum enim est τάνδε γᾶν post ἁ γᾶ δέξεται; itaque putamus ΤΑΝΔΕΓΑΝ ex ΤΗΛΥΓΕΤΟΝ depravatum esse. Hac Homerica voce etiam Euripides usus est Iph. T. 828 ἔχω c', Ὀρέστα, τηλύγετον χθονὸς ἀπὸ πατρίας κτέ. atque numeri βήματι μολόντα τηλύγετον Ὀρέσταν cum numeris antistr. οὔθ' ὁ παρὰ τὸν Ἀχέροντα θεὸς ἀνάσσων etiam magis concinunt eis quos libri exhibent.

El. 214 οὐ γνώμαν ἴσχεις ἐξ οἵων
τὰ παρόντ' οἰκείας εἰς ἄτας
ἐμπίπτεις οὕτως αἰκῶς;

Constat scholia antiquiora quae ad diversam lectionem referenda sunt atque in libris habetur, ad emendationem loci plurimum valere. Itaque hoc loco cum dictio τὰ παρόντα ex ipsa grammatica ratione magnae offensioni atque, si eam idem significare putes quod τὰ νῦν vel ἐν τοῖς παροῦσιν, admodum otiosa sit et ultro suspicionem corruptelae moveat, diversitas lectionis, quam scholium libri Laurentiani οὐ γινώσκεις, φησίν, ἐξ οἵων ἀγαθῶν εἰς τί ἀνιαρὸν ἐλήλυθας ostendit, utilissima putari atque emendationi adhiberi debet. Hanc rationem secuti Reiskius οἵας pro οἰκείας, Nauckius praeterea ἀγαθῶν pro τὰ παρόντ' scribi iubent. At verba ἐξ οἵων ἀγαθῶν οἵας εἰς ἄτας ἐμπίπτεις quamvis concinna sint, sententiae nullo modo conveniunt. Nam res prosperae quid attinent ad Electram? Accedit quod perspici non potest, qua ratione ἀγαθῶν abierit in τὰ παρόντ'. Nec magis apparet, quo modo οἵας in οἰκείας productum sit; probabilius est οἰκείας in οἵας correptum esse, atque οἵας si scribimus, in v. stroph. 195 coι, quod optime Hermannus in οἱ emendavit, expungi necesse est, id quod arti et rationi maxime adversarium. Has ob causas ut verba scholii εἰς τί ἀνιαρόν ad οἵας ex οἰκείας decurtatum, ita verba ἐξ οἵων ἀγαθῶν referenda videntur ad vocabulum item depravatum, unde etiam τὰ παρόντ' devenire posset. Id fuisse puto πόρων ex ἀπόρων corruptum; nam et πόρων aliquis ἀγαθῶν interpretari poterat et ἀπόρων facile in τὰ παρόντ' abibat. Chorus verbis ἐξ οἵων ἀπόρων Electram commonefacit summae auxilii inopiae, in qua non eis penes quos maxima potentia sit, sed sibi ipsi noceat, atque ut verba quae sequuntur πολὺ γάρ τι κακῶν ὑπερεκτήσω . . πολέμους explicant οἰκείας ἄτας, ita proximis τὰ δὲ τοῖς δυνατοῖς οὐκ ἐριστὰ πλάθειν Electrae τὰ ἄπορα exponuntur.

Similis sententia simili mendo deformis invenitur apud Eurip. Androm. 126

γνῶθι τύχαν, λόγιcαι τὸ παρὸν κακὸν εἰc ὅπερ ἥκειc·
δεcπόταιc ἁμιλλᾷ
Ἰλιὰc οὖcα κόρα Λακεδαίμονοc ἐγγενέταιcιν;

Ratio enim quae inter utramque huius loci sententiam intercedit, tum demum plana erit si scripserimus:

γνῶθι τύχαν λόγιcαί τ' ἄπορον κακὸν εἰc ὅπερ ἥκειc.

Cfr. Hel. 813 εἰc ἄπορον ἥκειc· δεῖ δὲ μηχανῆc τινοc.

El. 337 τοιαῦτα δ' ἀλλὰ καὶ cὲ βούλομαι ποιεῖν.

Sexcentas coniecturas, quibus hic locus tentatus est, congessit post O. Jahnium Michaelis. Mirum est id doctissimos viros fugisse, quod primum occurrit ipsaque loci ratione comprobatur. Scilicet *inter* τοιαῦτα δ' *et* ἀλλὰ *lacuna statuenda est,* quam dicis causa sic expleas:

τοιαῦτα δ' ⟨εἰκὸc οὐκ ἔμ' εὖ φρονεῖν μόνην
ἐc καιρόν⟩, ἀλλὰ καὶ cὲ βούλομαι ποιεῖν.

El. 354 εἶεν, δίδαξον δή με, τοῦ χάριν τίνων
ἔθυcεν αὐτήν; πότερον Ἀργείων ἐρεῖc;
ἀλλ' οὐ μετῆν αὐτοῖcι τήν γ' ἐμὴν κτανεῖν.

Verba τοῦ χάριν τίνων vix intellegi possunt. Nam si sententiae apte interpreteris 'cuius gratia luens' atque τίνων sine obiecto positum putes, id ab usu verbi τίνειν abhorrere videtur. Sin 'cuius gratiam rependens' intellegas cf. O. Col. 1203 εὖ πάcχειν, παθόντα δ' οὐκ ἐπίcταcθαι τίνειν, minus ratio verborum ἀλλ' οὐ μετῆν αὐτοῖcι τήν γ' ἐμὴν κτανεῖν expediri potest. Itaque si liber Laur. a manu prima haberet τίνοc, a manu correctoris τίνων, appareret τίνοc ex interpretatione nominis τοῦ repeti debere. Nunc vero cum τίνων proba lectio, τίνοc autem ab eis grammaticis correctum sit, quibus et ipsis dictio τοῦ χάριν τίνων minus probabatur, aliud vitium subesse consentaneum est. Atque mihi videtur emendandum esse

εἶεν, δίδαξον δή με, τοῦ χρέοc τίνων

i. e. 'cuius noxam luens'. Cfr. Aesch. Ag. δημοκράντου δ' ἀρᾶc τίνει χρέοc. Cum χρέοc eodem modo atque χάριν usurpetur ut Eur. Hec. 892 cοὶ οὐκ ἔλαccον ἢ κείνηc χρέοc, facilior erat commutatio.

El. 459 οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον
πέμψαι τάδ' αὐτῇ δυcπρόcοπτ' ὀνείρατα.

Cui probatur locutio οἶμαι κἀκείνῳ μέλον eodem sensu interpretanda atque οἶμαι καὶ ἐκείνῳ μέλειν vel, ut accuratius dicam, οἶμαι ὡc καὶ ἐκείνῳ ἔμελε? Verum ipse hic sensus 'puto etiam illius interfuisse ea somnia mittere' parum aptus videtur. Vel glossemate vel falsa opinione πέμψαι positum esse arbitror pro ἐλθεῖν, ut in

οἶμαι μὲν οὖν, οἶμαί τι κἀκείνῳ μέλον
ἐλθεῖν τάδ' αὐτῇ δυcπρόcοπτ' ὀνείρατα

casum absolutum participii μέλον habeamus, de quo cfr. Krueg. gr. gr. I § 56, 9, 5, qui adfert Lys. 27, 16 οὐ δίκην παρὰ τῶν ἀδικούντων λαμβάνετε ὥcπερ οὐ τῆc ζημίαc αὐτοῖc μέλον, et Eur. Hec. 505 ὦ φίλτατ', ἆρα κἄμ' ἐπιcφάξαι τάφῳ δοκοῦν Ἀχαιοῖc ἤλθεc;

El. 775 ὅςτις τῆς ἐμῆς ψυχῆς γεγὼς
μαςτῶν ἀποςτὰς καὶ τροφῆς ἐμῆς φυγὰς
ἀπεξενοῦτο.

Interpretantur quidem τῆς ἐμῆς ψυχῆς γεγώς, sed quod conferunt τοὐμὸν ἐκπίνους' ἀεὶ ψυχῆς ἄκρατον αἷμα (v. 785), id plane alienum est. Mihi τῆς ἐμῆς ψυχῆς corrupta videntur ex eo quod res ipsa requirit:

ὅςτις τῆςδε νηδύος γεγώς.

Cfr. Eur. Bacch. 1306 τῆς cῆς τόδ' ἔρνος, ὦ τάλαινα, νηδύος. Video etiam Blaydesium coniecisse vel τῆς ἐμῆς γαςτρὸς γεγὼς vel νηδύος γεγὼς ἐμῆς.

El. 1038 ΧΡΥΣ. ὅταν γὰρ εὖ φρονῇς, τόθ' ἡγήςει cὺ νῷν.
ΗΛ. ἦ δεινὸν εὖ λέγουςαν ἐξαμαρτάνειν.

In interpretandis his verbis Electrae mihi videntur editores a sensu poetae longe aberrare. Wunderus dicentem facit Electram: 'profecto miserum est, quae recte dicat non recte facere'; in editione a Schneidewino et Nauckio curata hic sensus profertur: 'miserum est, ab eo cui bene consulas non audiri'. G. Wolffius adnotat: 'quod te verba mea non movent, sed ad irritum cadunt'. Apparet poetam voluisse dicere: 'profecto indignum est verbis utentem speciosis perverse loqui'. Cfr. Eur. Hec. 1191 καὶ μὴ δύναςθαι τἄδικ' εὖ λέγειν ποτέ.

El. 1142 ςμικρὸς προςήκεις ὄγκος ἐν ςμικρῷ κύτει.

Hunc locum adfero glossae Hesychii causa κύτος· ςῶμα, ὄγκος, χώρημα, βάθος. Apparet enim eam glossam ex scholio huius Electrae versus conglutinatam esse, cuius auctor interpretabatur ὄγκος per ςῶμα, κύτος per χώρημα, atque cum Suidas Sophoclis versum adscribens glossam praebeat ὄγκος· τὸ βάρος, illa Hesychiana ex his duobus scholiis repetenda videntur: κύτος· χώρημα — ὄγκος· βάρος, ςῶμα.

Oed. T. 1219 δύρομαι γὰρ ὡς
περίαλλα ἰαχέων
ἐκ ςτομάτων.

De verbo ἰαχέω post Elmsleium bene, sed non satis definite disputavit Ellendtius in lex. Soph. s. v. ἰάχω. Cum nihil nisi nomen ἴακχος inveniatur (Eur. Cycl. 69, Tro. 1230), formae ἰακχή, ἰακχέω autem omni fide careant, statuendum videtur, Atticos poetas alia mensura verbi atque epicos usus esse et *ut* ἰᾱχή (Aesch. Pers. 939, Eur. Bacch. 149, El. 143, Ion. 499, Or. 1473, Tro. 337, Phoen. 1302), *ita* ἰάχω (ἰάχει Eur. Hel. 1486, Herack 783, Herc. 349) *producta media usurpasse.* Uno loco comparet epica mensura ἰᾰχει El. 706. Hanc conservarunt in imperfecto *prima producta* ῑ̓ᾰχον (Tro. 829, Or. 1465), non *in futuro* ῐ̓ᾱχήςω (Eur. Tro. 516, Phoen. 1295) *et aoristo* ῐ̓ᾱχηςα (Eur. El. 1150, Heracl. 752, Or. 826) *prima correpta.* Permultis locis metri causa ex Elmsleii praecepto doricae formae ἀχή et ἀχεῖν vocabulorum ἠχή et ἠχεῖν pro ἰαχή et ἰαχεῖν restitutae sunt (Aesch. Sept. 868, Eur. Herc. 1027,

Suppl. 72, Hipp. 585, Iph. A. 1045, Iph. T. 180, Med. 149, 204, Phoen. 1040). Eo factum putandum est, ut *librarii* ἰαχεῖν *pro* ἰάχειν *scriberent*. Cfr. Oed. T. 185 ubi optimus liber ἐπιστονάχουσι (sic) praebet pro ἐπιστενάχουσι. Qui enim locus formam praesentis ἰαχεῖν contestari videtur, Eur. Or. 965, ubi libri exhibent ἰαχείτω et Porsonus scripsit ἰακχείτω, is cum aequabilitas strophica violata sit, nihil auctoritatis habet. Atque quoniam vidimus, librarios ἰαχεῖν pro ἀχεῖν inferre solitos esse, in v. antistr. 976 non de Hartungi coniectura ἰὼ ὤ scribi, sed ἰὼ temere a librariis duplicatum putari debet, id quod sexcenties factum esse constat. Itaque in v. 965 ἀχείτω δὲ γᾶ Κυκλωπία, in v. 976 ἰὼ πανδάκρυτ' ὀδύρματα reponendum. Hel. 1147 verba καὶ ἰαχὴ σὴ καθ' Ἑλλανίαν corrupta sunt neque concinna v. antistr. 1161 νῦν δ' οἳ μὲν Ἅιδᾳ μέλονται κάτω. Emendationes ἰαχήθης, ἰάχησαι eis quae antea exposuimus non comprobantur neque forma passivi aliunde cognita est. Conicio καί σ' εἶχ' ἰαχὰ καθ' Ἑλλανίαν ἄδικος, ἄπιστος, προδότις, ἄθεος, in quibus ἰαχὰ ἄδικος . . ἄθεος poetica ratione dicitur ut φάσμα πεπτωκός Soph. El. 1467. Quem autem praescripsimus Sophoclis locum, de eo iam constare debet quod Ellendtius s. v. ἰαχαῖος scribit: 'neque de praesente ἰαχεῖν satis certo constat neque non contractum in ἰαχῶν praetulisset poeta'. Itaque ne participium ἀχέων quidem, quod Blaydesius reponi iubet coniciens περίαλλά σ' ἀχέων, probari potest. Quod El. 158 legitur ἀχέων, id non licet participium epicum, sed gen. plur. nominis ἄχος habere. Sententia ipsa adiectivum ad nomen στομάτων referendum videtur requirere. At quod Erfurdtius intulit ἰακχίων, id ab ipso inventum est neque fide comprobatur. Ego scribo δύρομαι γὰρ ὡς περίαλλ' ἰαλέμων ἐκ στομάτων (ex ore lamentabili sive voce flebili) cl. Hesych. ἰαλέμων· δυστήνων, ἀθλίων et Eur. Herc. 109 ἰαλέμων γόων.

Trach. 904 βρυχᾶτο μὲν βωμοῖσι προσπίπτουσ' ὅτι.

De formis πίπτειν et πίτνειν nobis disputaturis primum statuendum est, id quod iam Elmsleius ad Eur. Med. 1174 (1205) monuit, *librarios proclives fuisse ad formam communem* πίπτειν *minus communi forma* πίτνειν *commutandam*. Nam Ai. 58 ὅτ' ἄλλοτ' ἄλλον ἐμπίτνων στρατηλατῶν et O. Col. 1754 ὦ τέκνον Αἰγέως προσπίτνομέν σοι optimus liber Laur. habet ἐμπίπτων et προσπίπτομέν contra metrum. Aesch. Ag. 1468 ἐμπίτνεις Canterus restituit pro ἐμπίπτεις, 1128 liber Mediceus πίτνει exhibet a pr. m., πίπει (sic) ab correctore. Eur. Med. 1195 liber Flor. et Pal. πίπτει, praestantiores codices πίτνει, Tro. 762 liber Pal. πρόσπιπτε, ceteri πρόσπιτνε praebent. De usu harum formarum duo discernere licet: *nam forma* πίτνειν *aut metri causa poetae tragici eadem qua* πίπτειν *usi sunt aut temperata cadendi significatione, ut vel tarditatem vel decorem vel mollitiem quandam cadendi depingat.* Metro requiritur forma πίτνειν vel temperata vel non temperata significatione his locis: Aesch. Sept. 759, Suppl. 120, Ag. 1128, 1175, 1468, 1532, Cho. 36,

1056, Eum. 515. Pers. 461 (προςπίτνοντες). Soph. Ai. 58 (ἐμπίτνων), O. C. 1754 (προςπίτνομεν), Eurip. Alc. 103, 626, Androm. 1149, 1152, 1225, Hec. 23, Hel. 1093, Heracl. 77, Herc. 73, 853, Suppl. 285 (περὶ cοῖcι γούναcιν ὧδε πίτνω), 691, Hipp. 576, Iph. T. 48, Med. 55, 863, 1256, 1270, Or. 1538, Tro. 463, Phoen. 1415, 1472, frgm. 264; forma cυμπίτνειν Hec. 846, 966, forma προcπίτνειν Alc. 164 (πανύcτατόν cε προcπίτνουc' αἰτήcομαι), 403, Bacch. 1115, Hec. 274 (ἥψω τῆcδε γραίαc προcπίτνων παρηΐδοc. El. 221 (ὦ Φοῖβ' Ἄπολλον, προcπίτνω cε μὴ θανεῖν), 576 (προcπίτνειν τοῖc φιλτάτοιc), Herc. 1208 (γόνυ καὶ χέρα προcπίτνων), 1379, Suppl. 10 (προcπίτνουc' ἐμὸν γόνυ), Med. 1266, Phoen. 924 (τί προcπίτνειc με;), 1278 (cυγγόνων λύcειc ἔριν — τί δρῶcα, μῆτερ; — προcπίτνουc' ἐμοῦ μέτα), 1430. Forma πίτνω adhibita est non metri, sed propriae significationis causa apud Aeschylum et Sophoclem nusquam, nisi forte nonnullis eorum locorum, quos supra attuli, propria vis verbi agnosci debet ut Ag. 1532 πίτνοντοc οἴκου, Eum. 515 πίτνει δόμοc, Sept. 759 τὸ μὲν πίτνον (κῦμα), ἄλλο δ' ἀείρει τρίχαλον; apud Euripidem saepius: Alc. 1059 ἐν ἄλλοιc δεμνίοιc πίτνειν νέαc, Androm. 358 βώμιοι πίτνοντεc, 572 τῶν cῶν πάροc πίτνουcα γονάτων, Hel. 894 ἀμφὶ cὸν πίτνω γόνυ, Suppl. 165 πίτνων πρὸc οὖδαc, Med. 1195 πίτνει δ' ἐc οὖδαc idque non solum, ubi syllaba anceps, sed etiam ubi syllaba longa requiritur, Herc. 1006 κἀθῆκε· πίτνει δ' εἰc πέδον, πρὸc κίονα. Εἰcπίτνειν extra metri necessitatem legitur Tro. 751 νεοccὸc ὡcεὶ πτέρυγαc εἰcπίτνων ἐμάc. *Maxime autem propria vis formae* πίτνειν *eo comparet, quod significatione amplectendi et ad genua procumbendi* προcπίτνειν (προπίτνειν), *non* προcπίπτειν *usurpari solet:* Aesch. Pers. 152 βαcίλεια δ' ἐμή, προcπίτνω penultima producta, Soph. El. 453 αἰτοῦ δὲ προcπίτνουcα, Phil. 485 πείcθητι· προcπίτνω cε γόναcι, καίπερ ὤν, Eur. Alc. 183 κυνεῖ δὲ προcπίτνουcα, Hel. 64 μνῆμα προcπίτνω τόδε ἱκέτιc, Med. 1205 προcπίτνει νεκρῷ, Phoen. 1433 πάρειμι· προcπίτνουcα δ' ἐν μέρει τέκνα, penultima producta Soph. El. 1380 αἰτῶ, προπίτνω, Eur. Androm. 537 τί με προcπίτνειc, Tro. 762 πρόcπιτνε τὴν τεκοῦcαν, Phoen. 293 γονυπετεῖc ἕδραc προcπίτνω c', ἄναξ. His rebus cognitis paucis locis memoria librorum emendari debet. Ut Hel. 894, ita etiam Hec. 787 ἀμφὶ cὸν πίτνω γόνυ, ut Androm. 572 τῶν cῶν πάροc | πίτνουcα γονάτων, ita etiam Alc. 947 ἀμφὶ γούναcι | πίτνοντα, ut Tro. 762 πρόcπιτνε τὴν τεκοῦcαν, ita etiam Hec. 339 πρόcπιτνε δ' οἰκτρῶc τοῦδ' Ὀδυccέωc γόνυ, ut Hel. 64 μνῆμα προcπίτνω, Med. 1205 προcπίτνει νεκρῷ, Androm. 358 βώμιοι πίτνοντεc, ita etiam Soph. Trach. 904 βρυχᾶτο μὲν βωμοῖcι προcπίτνουc' ὅτι scribi debet.

Frgm. 736, 10 μοχθητέον
ὦ παῖδεc, ὡc ἂν μήτ' ἀπαιδεύτων βροτῶν
δοκῶμεν εἶναι κἀποδημοῦντοc πατρόc.

Alio loco emendavi κἀπὸ δημότου πατρός. Huius emendationis comprobandae causa hic nonnulli loci adponantur: Ai. 1071 ἄνδρα δημότην, Ant. 690 ἀνδρὶ δημότῃ, Eur. Ion. 625 δημότης ἂν εὐτυχὴς ζῆν ἂν θέλοιμι μᾶλλον ἢ τύραννος ὤν.

III. Euripidea.

Bacch. 792 οὐ μὴ φρενώσεις μ', ἀλλὰ δέσμιος φυγὼν
σώσει τόδ', ἢ σοι πάλιν ἀναστρέψω δίκην.

Verba σώσει τόδε optime interpretatus est Brunckius 'conserva tibi hoc' comparato simillimo loco Soph. El. 1257 τοιγαροῦν σῴζου τόδε, ut nihil causae sit, cur alii σῴζεσθαι hic significare putent 'memoria tenere', alii vero verbis σώσει τόδε corruptelam subesse arbitrentur. Corrupta videntur ea quae sequuntur ἀναστρέψω δίκην. Quid sit πάλιν ἀναστρέφειν, cognoscitur ex Suppl. 329 Κάδμου θ' ὁρῶσα λαὸν εὖ πεπραγότα ἔτ' αὐτὸν ἄλλα βλήματ' ἐν κύβοις βαλεῖν πέποιθ'· ὁ γὰρ θεὸς πάντ' ἀναστρέφει πάλιν. Itaque δίκην πάλιν ἀναστρέφειν est 'ius invertere'. Etiamsi 'poenam repetere' significare possit, tamen est locutio ita non expressa, ut credam sic scripsisse poetam, non potius Penthei moribus, quales in Bacchis effinguntur, accommodate rem ipsam suis verbis elocutum esse ἢ σοι πάλιν ἀποστρέψω χέρας i. e. 'aut manus tibi iterum retorquebo'. Cfr. Soph. Oed. T. 1154 οὐχ ὡς τάχος τις τοῦδ' ἀποστρέψει χέρας;

Bacch. 827 sqq. colloquium Bacchi regi insidias parantis et Penthei imprudenter in laqueos collum inserentis multas difficultates exhibet. Versus 828 τίνα στολήν; ἦ θῆλυν; ἀλλ' αἰδώς μ' ἔχει perquam incommodus est et post v. 821 sq. στεῖλαί νυν ἀμφὶ χρωτὶ βυσσίνους πέπλους. — Τί δὴ τόδ'; εἰς γυναῖκας ἐξ ἀνδρὸς τελῶ et ante v. 830 στολὴν δὲ τίνα φὴς ἀμφὶ χρῶτ' ἐμὸν βαλεῖν; Hanc molestiam sustulit Collmannus (de Bacch. fab. Eur. locis nonnullis. 1875), cum v. 828. 837 interpolatos iudicavit et v. 829 loco v. 837 inseruit. Bene eum iudicavisse puto de v. 828 et 829, de v. 837 non item. Nam verba μολεῖν χρὴ πρῶτον εἰς κατασκοπήν aperte pertinent ad pugnam de qua antea dixit Bacchus (συμβαλὼν Βάκχαις μάχην), post verba οὐκέτι θεατὴς Μαινάδων πρόθυμος εἶ non aeque aptum locum obtinent. Id quidem concedo, neque apparere cur repente pugnae cruentae Bacchus mentionem faciat et locutionem αἷμα θήσεις ineptam esse. Sed illud mox cum alia labe huius loci coniunctum esse videbimus, hoc emendari potest. Suspicor αἷμα θήσεις mutandum esse in αἷμα δεύσεις i. e. 'sanguinem profundes' cl. Soph. Ai. 375 κλυτοῖς πεσὼν αἰπολίοις ἐρεμνὸν αἷμ' ἔδευσα. Idem verbum reddi debet Ion. 226 εἰ μὲν ἐδεύσατε πέλανον πρὸ δόμων. Libri habent a m. pr. ἐδύσατε, quod altera manus correxit in ἐλύσατε. Illud ἐδύσατε esse ἐδεύσατε, non quod de H. Stephani coniectura scribunt ἐθύσατε, et litera Δ docet et res ipsa; nam verba πέλανον ἐθύσατε

pertinent ad libum immolatum, non possunt pertinere ad πέλανον αἱματοςφαγῆ hostiae mactatae (cfr. v. 228 ἐπὶ δ᾽ ἀςφάκτοις μήλοιςι κτέ.).*) Sed redeamus, unde digressi sumus. Post v. 842 propter stichomythiam violatam lacunam indicavit Kirchhoffius. At quo ipse v. 842 suo loco referendus sit, non assequor. Si diceret post v. 840 sq. Pentheus πᾶν κρεῖςςον ὥςτε μὴ ᾽γγελᾶν ἀςτοὺς ἐμοί, id intellegi posset. Nunc vero cum de Bacchis in Cithaerone versantibus cogitet Pentheus et dicat: 'quidvis satius est quo efficitur ut ne Bacchis derisui sim', ea ab illo loco, quo nunc leguntur, aliena sunt. Iam cum v. 847 sq. transposuerit Musgravius, cum v. 855 sq. ego transponendos esse alio loco monuerim, cum v. 829 suo loco delatum esse Collmannus viderit, cum *versum 836* οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν *appareat excipere debere versum 833* πέπλοι ποδήρεις· ἐπὶ κάρᾳ δ᾽ ἔςται μίτρα, summa versuum perturbatio hunc locum invasisse eademque medela adhibenda esse videtur quae sexcentos Euripidis locos sanavit. Nihil offensionis remanere puto in hoc versuum ordine:

ΔΙ. ἐγὼ στελῶ cε δωμάτων εἴcω μολών. 827
ΠΕ. στολὴν δὲ τίνα φὴς ἀμφὶ χρῶτ᾽ ἐμὸν βαλεῖν; 830
ΔΙ. κόμην μὲν ἐπὶ cῷ κρατὶ ταναὸν ἐκτενῶ.
ΠΕ. τὸ δεύτερον δὲ cχῆμα τοῦ κόςμου τί μοι;
ΔΙ. πέπλοι ποδήρεις· ἐπὶ κάρᾳ δ᾽ ἔςται μίτρα. 833
ΠΕ. οὐκ ἂν δυναίμην θῆλυν ἐνδῦναι στολήν. 836
ΔΙ. οὐκέτι θεατὴς Μαινάδων πρόθυμος εἶ. 829
ΠΕ. ἦ καί τι πρὸς τοῖςδ᾽ ἄλλο προςθήςεις ἐμοί; 834
ΔΙ. θύρςον γε χειρὶ καὶ νεβροῦ στικτὸν δέρας. 835
ΠΕ. πᾶν κρεῖςςον ὥςτε μὴ ᾽γγελᾶν Βάκχας ἐμοί. 842
ΔΙ. ἀλλ᾽ αἷμα θεύςεις συμβαλὼν Βάκχαις μάχην. 837
ΠΕ. ὀρθῶς· μολεῖν χρὴ πρῶτον εἰς κατασκοπήν.
ΔΙ. σοφώτερον γοῦν ἢ κακοῖς θηρᾶν κακά.
ΠΕ. καὶ πῶς δι᾽ ἄςτεως εἶμι Καδμείους λαθών; 840
ΔΙ. ὁδοὺς ἐρήμους ἴμεν· ἐγὼ δ᾽ ἡγήςομαι. 841
ΠΕ. ἐλθόντ᾽ ἐς οἴκους ἂν δοκῇ βουλεύςομαι. 843

Verbis πᾶν κρεῖςςον κτέ. v. 842 Pentheus praefert arma (cfr. 809) thyrso. v. 843 ἐλθόντε non cum Kirchhoffio in ἐλθὼν mutandum esse, docent exempla quae congessit Krueg. gr. gr. I § 56, 9, 1 et 2. Nisi Pentheus Bacchum moneret ut ipse quoque domum intraret, ratio eorum quae Bacchus respondet minus liqueret.

*) Cfr. Schoemann. schol. in Ion. Eur. parod. p. 15 'πέλανον non de libo, sed de hostia intelligi vult (Musgravius), idque eius modi locis comprobari posse putat, ubi πέλανος de sanguine dicitur. At nunquam sic dicitur, nisi aut addito aliquo epitheto ad ambiguitatem tollendam apto aut in eiusmodi contextu, ubi de significatione dubitari nullo modo possit, quod hoc loco secus esse apparet'. Ipsam Schoemanni opinionem ignoro, cum mihi ille libellus non suppetat.

El. 98 ζητῶν τ' ἀδελφήν· φαcὶ γάρ νιν ἐν γάμοιc
ζευχθεῖcαν οἰκεῖν οὐδὲ παρθένον μένειν.

Orestes Pyladi duas exponit causas, cur non in urbem, sed in agros extremos Argivorum pervenerit; altera est, quod quaerat sororem. Miram autem explicat rationem, cum addit Electram in matrimonium ductam esse neque virginem manere. Scilicet quia nupsit, eam procul urbe habitare consentaneum est, quasi virgo nobilis rustico homini collocari soleat. Apparet verba futilia οὐδὲ παρθένον μένειν ab sciolo versus mutili supplendi gratia adiecta esse; quid poeta scripserit, efficias ex v. 246 sq.:

ζευχθεῖcαν οἰκεῖν <ἐνθάδ' ἄcτεωc ἑκάc>.

Video etiam Weilium de integritate lectionis traditae eisdem rationibus commotum dubitasse, sed quod proposuit, ζευχθεῖcαν ἐνθάδ', id a grammatica ratione vel maxime laborat.

El. 318 αἷμα δ' ἔτι πατρὸc κατὰ cτέγαc
μέλαν cέcηπεν· ὃc δ' ἐκεῖνον ἔκτανεν,
εἰc ταὐτὰ βαίνων ἅρματ' ἐκφοιτᾷ πατρί.

Parum accommodata sunt verba αἷμα δ' ἔτι . . cέcηπεν narrationi qua superbos nefariosque mores Clytaemnestrae et Aegisthi describit Electra, interposita. Ratio nexusque sententiarum requirit αἷμα δ' οὐ πατρὸc κατὰ cτέγαc μέλαν cέcηπεν ὃε δ' ἐκεῖνον κτέ., ut Electra dicat, *nondum* putruisse sanguinem patris, cum Aegisthus regia insignia aperte gerere audeat. Particulam ἔτι interpretationis causa superscriptam librarius correctionem vocabuli οὐ habuisse videtur.

El. 1132 ἀλλ' εἶμι, παιδὸc ἀριθμὸν ὡc τελεcφόρον
θύcω θεοῖcι.

Verba παιδὸc ἀριθμὸν τελεcφόρον de decimo ex natu die dicta nullo modo recte se habere possunt, quamquam fuerunt qui intellegere sibi viderentur. Sensui unum convenit nomen ἦμαρ, cuius cum nihil superesset nisi literae μαρ, ex eis ἀριθμὸν effectum esse videtur.

El. 1344 δεινὸν γὰρ ἴχνοc βάλλουc' ἐπὶ coὶ
χειροδράκοντεc χρῶτα κελαιναί.

Verba δεινὸν ἴχνοc βάλλουcι neque grammaticae rationi satisfaciunt futurum βαλοῦcι requirenti et satis putida sunt. Quod Jacobsius coniecit πάλλουcι, id confirmari videtur eo quod similiter Bacch. 308 Matthiaeus βάλλοντα in πάλλοντα emendavit. Ceterum cum frgm. adesp. 100, 6 ἀμφιβάλλει a F. Gu. Schmidtio in ἀμφιβαίνει recte mutatum ducam, hic quoque nescio an aptius scribatur βαίνουc'. In utraque emendatione tempus praesens ad notionem appropinquandi pertinet; ἴχνοc βαίνειν autem eadem ratione dicitur qua πόδα βαίνειν. Vestigio horribili adgrediuntur Furiae quia sunt χαλκόποδεc.

Hipp. 78 Αἰδὼc δὲ ποταμίαιcι κηπεύει δρόcοιc,
ὅcοιc διδακτὸν μηδέν, ἀλλ' ἐν τῇ φύcει
τὸ cωφρονεῖν εἴληχεν εἰc τὰ πάνθ' ὁμῶc,
τούτοιc δρέπεcθαι. τοῖc κακοῖcι δ' οὐ θέμιc.

Dindorfius v. 79—81 damnat ut spurios. Maxime eum movisse videtur, quod v. 80 τὸ cωφρονεῖν εἴληχεν ... ὁμῶc simillimus est versui Bacch. 316 τὸ cωφρονεῖν ἔνεcτιν εἰc τὰ πάντ᾽ ἀεί. Rectius Kirchhoffius Baccharum versum insiticium iudicat. Nam testimonium Stobaei, qui flor. 74, 8 illum versum omittit, comprobatur ipso loco, quo si is versus remanet, moleste verbum cωφρονεῖν repetitur. Rectissime Kirchhoffius scribit οὐχ ὁ Διόνυcοc cωφρονεῖν ἀναγκάcει γυναῖκαc εἰc τὴν Κύπριν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύcει τοῦτο· cκοπεῖν χρή. Nam coniuncta τοῦτο cκοπεῖν χρή hoc loco incommoda sunt. Iam licet versum Baccharum ad eum quem attulimus locum Hipp. referre. Hunc emendavit Porsonus, cum ὅcτιc pro ὅcοιc scripsit. At nunc cognoscitur, nos *dittographiam* quae dicitur habere: ὅcτιc διδακτὸν μηδέν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύcει τὸ cωφρονεῖν εἴληχεν εἰc τὰ πάνθ᾽ ὁμῶc et ὅcοιc διδακτὸν μηδέν, ἀλλ᾽ ἐν τῇ φύcει τὸ cωφρονεῖν ἔνεcτιν εἰc τὰ πάντ᾽ ἀεί. Illud recta ratione praefertur.

Hipp. 363 ὀλοίμαν ἔγωγε πρὶν cὰν φιλίαν
καταλύcαι φρενῶν

Haec est optimorum librorum memoria. Alii codices pro φιλίαν exhibent φίλαν, pro καταλύcαι, quod in quibusdam καταλῦcαι scribitur, κατανύcαι, utrumque ut apparet metri dochmiaci restituendi causa. Loci corrupti emendationi nihil opitulantur scholia; nam quae habent κατανύcαι φρενῶν: cτερηθῆναι vel ἀπολοίμην πρίν cε ἀποθανοῦcαν ἰδεῖν καὶ πληρῶcαι τὴν cὴν φιλίαν· ἢ πρὶν cὲ τὴν φιλτάτην καταλῦcαι τὴν cωφροcύνην· ταύτην γὰρ φρέναc ὠνόμαcεν vel πληρῶcαί παρὰ τὴν νύccαν, ὅ ἐcτι πρὶν λῆξιν λαβεῖν coῦ τὰc προcφιλεῖc φρέναc, haec omnia ad eas quas memoravi lectiones pertinent ex hisque sensum elicere conantur frustra. Quod Elmsleius coniecit πρὶν cᾶν, φίλα, κατανύcαι φρενῶν, id nec ratione emendandi nec sententia commendatur. Etiam minus probabilem efficit sententiam Weilii coniectura scribentis πρὶν cᾶν c᾽ ἔρον κατανύcαι φρενῶν atque φιλίαν ex interpretatione nominis ἔρον repetentis, id quod nulli persuaserit. Et sententiae et memoriae optimorum librorum consulitur hac emendatione:

ὀλοίμαν ἔγωγε, πρὶν cὰν ὀφλεῖν
κατάλυcιν φρενῶν.

Cum Phaedra turpissimum amorem professa sit, feminae chori horrore perfusae *abominantur dissolutionem mentis* et lubidinem, cui illam obnoxiam vident. Notae sunt dictiones δειλίαν, ἀμαθίαν, μωρίαν, ἄνοιαν, παράνοιαν ὀφλιcκάνειν.

Hipp. 735 ἀρθείην δ᾽ ἐπὶ πόντιον
κῦμα τᾶc Ἀδριηνᾶc
ἀκτᾶc Ἠριδανοῦ δ᾽ ὕδωρ.

Miror quod neminem adhuc offendisse videtur locutio ἐπὶ πόντιον κῦμα τᾶc Ἀδριηνᾶc ἀκτᾶc, cum rectae dicendi rationi unda *maris,* non unda *litoris* conveniat. Corrigendum puto τᾶc Ἀδριηνᾶc ἅλμαc cl. v. 753 πόντιον κῦμ᾽ ἁλίκτυπον ἅλμαc.

Ion. 523 ἅψομαι· κοὐ ῥυσιάζω, τἀμὰ δ' εὑρίσκω φίλα.

Ex his quae libri habent ratio sententiae non elucet. Elucebit, si scripseris:

ἅψομαι· κοὐ ῥυσιάζω, τἀμὰ δ' εὑρίσκων ἄγω.

Cfr. simillime dicta Aesch. Suppl. 917

ΒΑΣ. ξένος μὲν εἶναι πρῶτον οὐκ ἐπίστασαι.
ΚΗΡ. πῶς δ' οὐχί; τἄμ' ὀλωλόθ' εὑρίσκων ἄγω.

Ion. 1279 ἴδεσθε τὴν πανοῦργον, ἐκ τέχνης τέχνην
οἵαν ἔπλεξε· οὐ βωμὸν ἔπτηξεν θεοῦ.

Lectio librorum ἔπλεξε οὐ ostendere videtur genuinam lectionem ἔπλεξ' αὖ· βωμὸν κτἑ.

Cycl. 69 ἴακχον ἴακχον ᾠδὰν
μέλπω πρὸς τὰν Ἀφροδίταν.

Locutio μέλπειν πρός τινα si graeca est, certe poetica non est. Cfr. Alc. 445 πολλά σε μουσοπόλοι μέλψουσι κτἑ., Tro. 335 βοᾶτε τὸν Ὑμέναιον, ὤ, μακαρίαις ἀοιδαῖς ἰαχαῖς τε νύμφαν. Alia contulit Krueg. gr. gr. I § 46, 12, 1. Itaque πρὸς *delendum* videtur.

Cycl. 111 ΟΔ. ἦ καὶ σὺ δεῦρο πρὸς βίαν ἀπεστάλης;
ΣΕΙΛ. λῃστὰς διώκων, οἳ Βρόμιον ἀνήρπασαν.

Cum Silenus id quod Ulixes interrogavit comprobet (cfr. v. 20 sq.) et ad id quod comprobavit explicandum aliud quid adiciat, secundum perpetuam colloquendi consuetudinem *addi debet* γέ:

λῃστὰς διώκων γ', οἳ Βρόμιον ἀνήρπασαν.

Particula γὲ in libris manu scriptis nonsolum saepe interpolata est, sed etiam saepe intercidit. Velut Hipp. 275 optimi libri habent τριταίαν, deteriores conservarunt τριταίαν γ', El. 637 γ' Piersonus addidit.

Cycl. 327 ἐπεκπιὼν γάλακτος ἀμφορέα, πέπλον
κρούω.

Ne quis hoc salibus comoediae Graecae parum adsuetus magis candide accipiat quam Cyclops de se carne lacteque nimis completo dicit, audiat Strepsiadem apud Aristophanem Nub. 293 sq. idem verbis minus ambiguis pronuntiantem.

Cycl. 535 μεθύωμεν· ἔμπας δ' οὔτις ἂν ψαύσειέ μου.

Reiskius scribi vult μεθύω μέν. Quanto magis sibi convenienter proprieque Cyclops dicit:

μεθύωμεν· ἔμπας οὔτις ἂν ψαύσειέ μου.

Cycl. 561 ΣΕΙΛ. ἀπομυκτέον δέ σοί γ', ὅπως λήψει πιεῖν
ΚΥ. ἰδού, καθαρὸν τὸ χεῖλος αἱ τρίχες τέ μου.

Qui hoc loco τρίχες apte interpretari vult, debet cl. Phoen. 923 ὦ πρός σε γονάτων καὶ γερασμίου τριχός intellegere τρίχας γενείου. Sed tamen cum Silenus Cyclopem iubeat priusquam bibat, nares emungere (ἀπομυκτέον), isque verbo ἰδού indicet se id facere quod ille iusserit, corrigi debet:

ἰδού, καθαρὸν τὸ χεῖλος αἱ ῥῖνές τέ μου.

2

Or. 401 ΜΕ. ἤρξω δὲ λύσσης πότε; τίς ἡμέρα τότ' ἦν;
ΟΡ. ἐν ᾗ τάλαιναν μητέρ' ἐξώγκουν τάφῳ.
ΜΕ. πότερα κατ' οἴκους ἢ προσεδρεύων πυρᾷ;
ΟΡ. νυκτὸς φυλάσσων ὀστέων ἀναίρεσιν.

Menelao interroganti, ubi primum viderit Furias Orestes, utrum domi an ad bustum sedens, hic respondet, noctu illas venisse ad se exspectantem dum ossa legerentur. Miramur consuetudinem noctu ossa legendi, quasi nihil interfuerit omnia summa cura legi; miramur, quod noctu Orestes nocti similes Furias (νυκτὶ προσφερεῖς v. 408) aspicere potuit. Verum alia respondet Orestes ac Menelaus quaesivit. Legendum

ἐκτός, φυλάσσων ὀστέων ἀναίρεσιν.

Cfr. Hel. 467 ποῦ δῆτ' ἂν εἴη; πότερον ἐκτὸς ἢ 'ν δόμοις;

Or. 926 ἢ κεῖν' ἀφήρει, μήθ' ὁπλίζεσθαι χέρα
μήτε στρατεύειν ἐκλιπόντα δώματα,
εἰ τἄνδον οἰκουρήμαθ' οἱ λελειμμένοι
φθείρουσιν, ἀνδρῶν εὐνίδας λωβώμενοι.

His verbis aliquis in concione invehitur in Clytaemnestram. Qui ea accurate consideraverit, mecum consentiet, ratione sententiae non φθείρουσιν, sed φθεροῦσιν requiri, cum is, cuius sit militiae stipendia facere, domi manere dicatur cogitans, coniugem dum ipse foris sit alias corrupturos esse.

Or. 1086 μήθ' αἷμά μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον
μὴ λαμπρὸς αἰθήρ, εἴ σ' ἐγὼ προδούς ποτε
ἐλευθερώσας τοὐμὸν ἀπολίποιμί σε.

Nomen αἷμα hoc loco ineptum, quo non de caede, sed de morte cogitetur, Jortinus mutavit in σῶμα. Praefero σάρκα comparato simili loco Hipp. 1030 καὶ μήτε πόντος μήτε γῆ δέξαιτό μου σάρκας θανόντος, εἰ κακὸς πέφυκ' ἀνήρ. Quod scholiasta habet: μήτε τὸ σῶμά μου ἀποθανόντος ἡ γῆ παραδέξαιτο μήτε εἰς αἰθέρα ἡ ἐμὴ ψυχὴ χωροίη, id nullo pacto emendationem σῶμα commendare potest, cum scholiasta singula verba interpretetur. Atque recte videtur Hartungius verba ἡ ἐμὴ ψυχὴ ad vocem πνεῦμα alteri versui reddendam rettulisse. Hartungius scripsit μὴ πνεῦμά τ' αἰθήρ particula τὲ loco parum commodo illata, Heimsoethius μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ πνεῦμ', ὅτ' ἂν προδούς ποτε vitiose, Weilius μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ πνεῦμ', ἐγὼ εἰ προδούς ποτε synizesi admissa quam nusquam Euripides admisit. Fortasse haec poeta scripsit:

μὴ σάρκα μου δέξαιτο κάρπιμον πέδον,
μὴ λαμπρὸς αἰθὴρ πνεῦμ', ἐγὼ προδούς ποτ' εἰ
ἐλευθερώσας τοὐμὸν ἀπολίποιμί σε.

Cum ποτ' εἰ in ποτε abiisset, εἰ supra πνεῦμα scriptum et sententiae necessarium facile πνεῦμα expellebat.

Or. 1457 ἀμφὶ πορφυρέων πέπλων ὑπὸ σκότου
ξίφη σπάσαντες ἐν χεροῖν κτέ.

Phryx narrat, Orestem et Pyladem repente gladios vestimento tectos

nudavisse. Quis non miretur amictum purpureum Orestis et Pyladis hominum Graecorum, praesertim cum paulo ante v. 1436 φάρεα πορφύρεα ex praeda Phrygia Clytaemnestrae donata memorentur? Cfr. El. 314 sqq. Scribendum censeo emendato metro ἀμφὶ παρυφέων πέπλων.

Tro. 506 ἄγετε τὸν ἁβρὸν δή ποτ' ἐν Τροίᾳ πόδα,
νῦν δ' ὄντα δοῦλον, cτιβάδα πρὸc χαμαιπετῆ
πέτρινά τε κρήδεμν', ὡc πεcοῦc' ἀποφθαρῶ
δακρύοιc καταξανθεῖcα.

Alienae sunt ab hac sententia lacrimae, ut δακρύοιc καταξανθεῖcα a viris doctis recte iudicetur corruptum. Hartungius pro δακρύοιc scribi vult vel ἄκραιc, cuius nominis usus ad hunc locum haud facile accommodatur, vel πέτροιc, quod paulo longius abest a memoria librorum. Quid poeta scripserit, suspicari licet ex Hipp. 274 ὡc ἀcθενεῖ τε καὶ κατέξανται δέμαc i. e. δέμαc καταξανθεῖcα.

Tro. 1187 οἴμοι, τὰ πόλλ' ἀcπάcμαθ' αἵ τ' ἐμαὶ τροφαὶ
ὕπνοι τ' ἐκεῖνοι φροῦδά μοι.

Non somnos, sed insomnias ut inanes labores conqueritur Hecuba. Quare πόνοι τ' ἐκεῖνοι coniecit Dobraeus. Sed sic quoque pronomen ἐκεῖνοι vel potius universa dictio abhorret ab oratione Euripidea. Exspectamus ἀγρυπνίαι τε φροῦδά μοι. Videtur, cum ἀγρυπνίαι τε decurtatum et ὕπνοι τε relictum esset, aliquis interpolator non ille quidem τ' ἐκεῖνοι, sed τε κεινοί addidisse versus utcunque restituendi causa. Similis corruptela invasisse videtur

Tro. 1204 τοῖc τρόποιc γὰρ αἱ τύχαι,
ἔμπληκτοc ὡc ἄνθρωποc, ἄλλοτ' ἄλλοcε
πηδῶcι, κοὐδεὶc αὐτὸc εὐτυχεῖ ποτε.

Nam τοῖc τρόποιc intellegi non potest nec quod Grotius coniecit ταῖc τροπαῖc vel Nauckius δύcτροποι γάρ, satis arridet. Sensu requiritur πολύτροποι γὰρ αἱ τύχαι. Cfr. Thuc. II 44 ἐν πολυτρόποιc γὰρ ξυμφοραῖc ἐπίcτανται τραφέντεc.

Frgm. 79 γυναῖκα καὶ ὠφελίαν
καὶ νόcον ἀνδρὶ φέρειν μεγίcτων
ἐδίδαξα τὠμῷ λόγῳ.

Genetivus μεγίcτων, pro quo Grotius μεγίcταν scripsit, documento sit huius fragmenti sensum primo alium fuisse atque nunc apparet et poetam non καὶ νόcον, sed καὶ ὄναcιν scripsisse.
